

B3 319.
AS

DISSERTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
Qua 1721

OBLIGATIONEM PA-
TRIS DOTANDI FILIAM
BONIS PROPRIIS IN-
STRUCTAM ASERIT,
AC NOVIS ARGUMENTIS
EX NOVELLÆ XCVII. CAPITE V.
DEPROMTIS CONFIRMAT,

Quamque
FAVENTE SUPREMO NUMINE
Ex

AUCTORITATE ET DECRETO
ILLUSTRIS ET AMPLISSIMÆ

FACULTATIS JURIDICÆ
in florentissima Academia Duisburgensi

Pro
Summis in Utroque Jure Honoribus, ac Privilegiis
Doctoralibus more majorum rite capeſſendis
Publico ac ſolenni examini ſubmittit

CAROLUS PONTANUS
LINGA - WESTPHALUS.

In Auditorio majore horis ſolitis ad diem 20 Junii 1721.

DUISBURGI AD RHENUM,
Typis JOHANNIS SAS, Academiæ Typographi,
Anno MDCCXXI.




V I R O
PERILLUSTRI AC GENEROSISSIMO
D O M I N O

D. SYLVESTRO
DIDERICO
LIBERO BARONI
DE DANCKELMAN,
TOPARCHÆ IN SWANE-
BECK, LAAR ET HANE-
KENSUNDEREN,
POTENTISSIMI BORUSSO-
RUM REGIS IN COMITATU LINGENSI
PRÆSIDI, JUDICI, GOGRAVIO, NEC NON
ATHENÆI LINGENSIS CURA-
TORI SUPREMO
MULTIS NOMINIBUS DE REPUBLICA
IN SIGNITER MERITO,

Hanc dissertationem inauguralem
in publicum grati devoteque
animi monumentum

D. D. D.
CAROLUS PONTANUS.



PRÆFATIO.

DYcurgus Lacedæmoniorum legislator virginis sine dotibus elocari jussit, ut viri & uxoris consortium non pretio, ac mercede, sed spe liberorum tollendorum, mutuâque charitate ac benevolentia conjungeretur. Idem etiam apud alias gentes obtinuisse, historiarum monumentis abunde proditum est. Inter has aversabantur dotes Ægyptii, quibus tam exosæ fuerunt, ut si fides habenda Alexandr. ab Alexand. gen. dier. lib. 2. c. 5. lib. 4. c. 8. illi, qui dotem accipere non dubitaverant, velut mancipia addicerentur. Indos pariter nihil filiabus in dotem dedisse, sed eas illis, qui lucta vicerint, vel quapiam alia virtute reliquis antecelluerint, præ cæteris collocasse refert Arrianus. Veteres etiam Germani ignorabant dotes ab uxoribus, vel pro ipsis dandas, ac mos apud ipsos invaluerat, ut ipsi potius mariti uxoribus offerrent munera vid. Tacit. de morib. Germ. c. 18. Schilter. ad ff. Exercit. 36. c. 68. & seqq. In quibus non dotis Romanæ naturam, sed morgengabam- quærendam esse asserit Hertijs in notit. vet. Germ. popul. p. 1. c. 3. §. 2. confer Ill. Stryckium us. mod. tit. de jure dot. §. 1. Cum Jure Romano vero Majores nostri etiam receperunt dotes, & cum his controversias quam plurimas. Inter quas nobilis est illa de dotanda filia locuplete, trita quidem & in Scholis JCtorum Germanorum hodie satis

ROTAD

A 2

decan-

decantata, sed tamen nova ventilatione non indigna, cum
in Nov. 97. cap. 5. clarissima veræ sententiae argumenta ap-
 pareant, quæ à nemine satis adhuc exposita memini. Hanc
 ob causam cum recepta consuetudo exigat, ut ad gradum
 Doctoralem adspirans dissertationem in publicum edam:
 hanc selegi materiam; in cuius elaboratione, postquam
 ingenii & industriae vires pericitatus fui, illam tibi impræ-
 sentiarum exhibeo diversa proculdubio judicia experturam.
 Aliquis enim videbor nimis blandiri tenuitati meæ,
 quod polliceri audeam, me ex Novellæ 97. visceribus nova
 prolaturum: Alii me in multis nimis jejunè versatum fuisse
 arguent: Alii me inferuisse multa ab argumento aliena:
 Alii me præterisse potiora, quæ illustrationi hujus mate-
 riæ infervire potuissent: Alii alia objicient. Verum tan-
 tum abest, ut varia hæc censura mihi bilem motura sit, ut
 potius data fide me obstringam, summopere me devinctum
 fore cuvis, qui errores, si quos commisero, detegere voluerit,
 & me, si solidis convincar rationibus, non solum
 statim repudium missurum opinioni, quam hactenus am-
 plexus sum, verum etiam cuicunque tempestivo moni-
 tori sive sit Papinianus sive Lucius Titius palmam ultro
 relieturum. Non enim tanta me tenet arrogantia, ut
 meum faciam dictum Ciceronis, nullum se emisisse ver-
 bum, quod revocare vellet, afferentis vid. Ridder. *in histor.*
d. erud. cap. 1. sed lubens profiteor, animum meum non
 adeo esse adversus errores, imprimis in hac juvenili ætate
 obsfirmatum, ut me in nullum incidere posse confidam.
 Quæ cum sit mentis meæ sententia à Te Lector qui Momi
 præceptis non es innutritus, & animum ab omni invidia
 vacuum geris, vicissim expecto & efflagito, ut hanc meam
 qualemcumque dissertationem æqui bonique consulas.

CAPUT

* * (5) * *

CAPUT I.

STATUS CONTROVERSIÆ CONTENT A.

§. I. *Introitus de abusū dotis.* §. II. *Rubri explicatio.* §. III. *Regula generalis pater tenetur dotare filiam.* §. IV. *Controversia specialis de filia bonis instruēta.* §. V. *Vulgo querunt de locuplete Filia, locuples quæ.* §. VI. *Etiam non locupletes haud excluduntur.* §. VII. *Status controversiæ.* §. VIII. *Formatio ejusdem distinctior.* §. IX. *Ejusdem restrictio ad solam conditionem qua filia bonis instruēta est.* §. X. *Non queri adeo de filia heretica.* §. XI. *Nec de ea quæ invitatis parentibus nupfit.* §. XII. *Nec de genero doti renuncianti.* §. XIII. *Ampliatio controversie ad filiam nudæ proprietatis dominam sive ususfructus patris sit.* §. XIV. *Sive extranei.* §. XV. *Itemque ad eam quæ iantum usumfructum habet.* §. XVI. *Difensus doctorum: negantes obligationem patris.* §. XVII. *Affirmantes.* §. XVIII. *Nostra sententia.* §. XIX. *Ordo dendorum.*

§. I.

Amagibus uterer, falcemque in Theologorum, Politicorum Ethicorumque messem immitrem, si expendere vellem, utrum satius foret matrimonio sibi jungere foeminam pauperem, bonis tamen moribus, & stemmatis honestate conspicuam, an vero neglectis virtutibus querere virginem magna dote instructam. Dum igitur nec Theologum, nec Ethicum, nec Politicum ago, mitto hanc quæstionem ad forum Iuridicum non spectantem, quamvis me haud lateat illum, qui solam dotis habet rationem, matrimonio vere abuti, cum alium finem, quam qui ei proprius est, intendat, probe monente Zigelro in *Aureo tract. de iud. Offic.* & *delict.*

concl. 8. n. 5. & 8. & præterea matrimonia ob hanc causam heterogeneam inita rectæ rationi contrariari, cum dote plerumque vendatur imperium marito in uxorem, ut pote quam rationis usū multum antecellere creditur, competens Arist. 1. Polit. c. 8. & dotata regat virum conjux teste Horatio lib. 3. Carm. Ode 24. nam opimam dotem opimam esse tyrannidem, indeque libertatem egredi, ubi magna dos ingreditur eleganter dicit Petrarcha lib. 1. de Remed. fort. dial. 65. Et his, ut alia quæ exinde propullulant mala, alto involvantur silentio, accedit quod plerumque turbetur (mulieribus in maritos imperium sibi sumentibus, utr. sèpius, si admodum dotatæ sunt, fieri solet) ordo à Salvatore præscriptus Eph. c. III. 22. 23. seqq. 1 Pet. c. III. 16. add. Rom. VII. 2. Eph. I. 22. Nihilominus mores sunt ita comparati, ut foemina licet rixosam, multisque vitiis inquinatam, & quam ne Socrates quidem amaret, dummodo bonis sit probe instructa, ambire soleant juvenes, & in celebrandis matrimoniiis

*Protinus ad censum de moribus ultima fiat quæstio
uti inquit & perstringit facundus Juvenalis Satyr. 3. O dira
igitur opum famæ! quid non mortalia pectora cogis! sed
hæc uti dixi ad alium locum pertinent.*

§. II.

Ego cujusvis pietati, honestati, prudentiæ nunc merito relinquo quid facere debeat, ut boni Christiani, boni Viri ac boni Politici officio satisficiat, qua de re forte verbulum in coronide addam. Nunc quæstionem forensem pertractabo, & in antecessum rubrum dissertationis paucis hic explicabo. Obligationis idea haber aliquid obscuritatis. Novissime Illustr. Thomasius Fundament. Jur. Nat. & Gent. lib. 1. c. 4. §. 61. seqq. eam in metu consistere docuit. Ego eam controversiam meam non faciam, sed nunc satis habeo,

bebo, obligationem cum Imperatore §. 1. *Infl. de obligat.* describere, quod sit vinculum juris, quo necessitate adstringimur alicujus rei solvendae aut (quod eodem continetur) alicujus facti praestandi l. 1. in f. ff. de Reb. cred. l. 4. ff. de oblig. & act. Patrem accipio sensu civili quem iustæ nuptiæ demonstrant genitorem l. 5. ff. de in jis voc. vel alius modus legitimus constituendi patriam potestate parentem fecit. Ex quo vi correlatorum per se patet, quæ mihi filia dicatur. Bonis propriis instructam appello eam quæ non omnibus omnino bonis à patrimonio paterno separatis caret, sed suo jure vel multa, vel quædam habet ad patrem non pertinentia. Qua de re plura dicam §. seqq. 13. 14. & 15. Denique dotare est marito pro uxore dare dotem, id est, in eum rem aliquam ad onera matrimonii eo melius sustinenda transferre. Hoc sensu agam de obligatione patris dotandi filiam bonis propriis instructam.

§. III.

Evidem generalis, eaque extra omnem dubitationis aleam posita regula est, quod pater ad dotandam filiam adeo obligetur, ut officio non satisfaciens a Magistratu ad hoc compellatur. Docet hoc Marcianus in l. 19. ff. de rit. nupt. Qui liberos quos habent in potestate injuria prohibuerint ducere uxores, vel nubere, vel qui dotem dare non volunt, ex constitutione Divorum Severi & Antonini per Proconsules Praesidesque Provinciarum coguntur in matrimonium collucare & dotare. Tenetur ergo pater dotem constitutere, idque ejus officio l. fin. Cod. d. dot. promiss. & si pius est voto congruere l. 21. §. 4. ff. ad SCium Trebell. faciendoque ex ipsius facultatibus pro earum modo esse l. 60. l. 69. §. 4. ff. de jure dot. non dubitatur.

§. IV.

De eo vero adhuc disceptatur, utrum leges hæ generaliter

raliter tam de filiis pauperibus , quam de locupletibus intelligi debeant , an vero ad solas filias pauperes restringendæ sint . Sane ordinarie olim apud Romanos filiæ usque ad mortem patris , & avi paterni erant constitutæ in sacris illorum , adeoque sub patria potestate Dionys. Halicarn. *Antiquit. Roman. lib. 2. p. 96.* & consequenter bonis propriis penitus carebant , cum filiis familiæ , cujuscunq; sexus & gradus , in manu patrum pene ad instar servorum essent , omnisque dominii incapaces nihil sibi , sed omnia patri acquirerent *d. pr. I. quib. non est permis. fac. testam.* Sextus Empir. Pyrrhon. *hypoth. pos. lib. 3. c. 24.* Dionys. Halicarnas. *lib. 8.* nec nisi unicum esset genus peculiorum profectitium donec sub Augusto militare , sub Constantino adventitium , uti probavit Celeb. JC. Dn. Franke *c. 2. d. dominio rei filios fam. favore in patrem donata* §. 7. seqq. cætera alio tempore accederent Dn. Gerard. Noodt *de Usfr. lib. 2. cap. 4.* Dubium itaque supereft de casu excepto , si filia bonis propriis instructa est , quæriturque , utrum pater etiam pro illa dotem constituere teneatur nec ne.

§. V.

Vulgo quæstionem formant de dotanda filia locuplete . Quisnam autem locuples dici possit , exakte & generatim definiri nequit , quemadmodum nec paupertas universim ad punctum determinari potest , quamvis in quæstione de accusatore idoneo *per text. in l. nonnull. 10. ff. de accusat.* is pauper vocetur qui in bonis non habet 50. aureos . Add. Gail. *lib. 1. observ. 142. n. 8.* Quare notandum est locupletes & pauperes dici relative , respectu nimirum praestationis , de qua quæritur , adeoque ita appellari eos , vel qui satis , vel non satis habent pro magnitudine rei quam aliis ab ipsis perit *l. 234. §. 1. de V. S.* Sic ergo filia locuples hic intelligitur ea , quæ tantum habet in bonis , quantum pro facultatibus

tatibus patris, & conditione mariti dotis nomine à patre
dandum foret, si ipsa egeret.

§. VI.

Ego vero etiam eam comprehendendo, quæ non est locuples, si quæstio de ejus dotatione moveatur, sed tamen non omnino bonis propriis, licet ad dotem non sufficien-
tibus, caret. Mox enim apparebit, hoc casu easdem omni-
no rationes, quæ in præcedente pro tollenda patris obliga-
tione militant, ad eandem minuendam pugnare.

§. VII.

Status igitur controversiæ hic erit, an pater ad dotem
tali filiæ obligetur, idque perfecte, ita ut à Judice etiam
invitus ad officium istud explendum legitimis remediis
compelli debeat, & possit, si forte tam exiguo filiæ amore
tangatur, ut huic debito sponte satisfacere detrectet.

§. VIII.

Ut rem adhuc distinctius proponam, quæritur, utrum
pater non attentis bonis filiæ propriis genero tantam con-
stituere dotem sit obstrictus, quantum filiæ egenæ dare
debuisset, an vero bona filiæ propria in hunc finem appli-
care possit, ita ut pro filia locuplete plane nihil de suo dare
teneatur, altero vero casu, si filia bonis quibusdam, sed
non sufficientibus instructa sit, liberetur præstatione ejus,
quod bonis filiæ propriis ad constituantam congruam do-
tem deest. E. g. Caja nubit Lucio, Tullia Titio; utri-
que ad sustinenda matrimonii onera pro ratione suæ digni-
tatis & patrimonii ficerorū 2000 debentur. Intetim
Caja 2000, Tullia 1000. solidos tanquam peculium pro-
prium habent. Jam quæritur, utrum pater Cajæ dotem ex
ipsius filiæ bonis constituendo, pater vero Tulliæ 1000
solidos filiæ proprios, ac præterea totidem alios ex suis bo-
nis genero solvendo officium expletat, an vero uterque in-
tegros

tegros 2000 ex suis facultatibus in dotem dare teneatur.

§. IX.

Monendum vero est controversiam nostram restringendam esse ad solam illam qualitatem, si filia sit locuples, vel saltem parte bonorum, quæ ad ipsam dotandam requiruntur, per se instructa, & cæteras hic supponi filiae conditiones, sine quibus patri onus dotis constituendæ non incumbit. Hinc non quæritur de filia emancipata, non de ea quæ se paternis reddidit indignam beneficiis, non de naturali; multo minus de illa, quæ ex incesto, & damnato legibus coitu est nata. Nam tales sive sint locuples, sive pauperes, pater dotare non tenetur. *I. 19. de R. N. I. 15. & l. 44. de jur. dor. arg. Nov. 115. c. 3. §. 1. 2. seqq. pr. Inst. de patr. potest. §. 12. Inst. de nupt. auth. ex complexu Cod de incest. nupt.*

§. X.

Nec etiam quæstio formatur de filia in hæresin lapsa propter allegatam *Nov. 115. c. 3. §. 10. & 14. l. 19. C. de heret. & Manich.* Quisnam autem pro hæretico habendus sit aliter Theologi definitiunt, aliter JCti. Illi omnes indistincte, qui in articulis fidei fundamentalibus aberrant, hæreticos sensu Theologico acceptos vocant; Hi vero tantum illos, qui dominant, vel aliis publice toleratis religionibus nuncium mittunt; cæteris quamcunque de Theologia illorum sententiam, aut de æterna ipsorum salute spem foveant, orthodoxiæ sensu Politico, & Juridico sumtæ laudem minime denegant. Sic in Imperio Germanico tres illæ religiones Reformata, Lutherana, & Romano-Catholica canonisatæ vocantur & orthodoxæ à JCtis censentur, quoniam hæ omnes per *Inst. Pac. Osnabr. art. 7. Transact. Passav. de anno 1552, & pacem religiosam de anno 1555.* publice tolerantur, & Jure Imperii paribus frui debent

bent privilegiis (quamvis eventus sœpius non respondeat,) Hinc licet v. g. filia reformatæ religioni addicta transeat ad Catholicorum castra , non habetur tamen à Jctis in Imperio German. pro hæretica , nec privilegio dotis ideo excidit , bene tamen si v.g. Socinianos &c. sectaretur, ut-pote jus tolerantiae externæ in Germania nunquam con-fecutos.

§. XI.

Nec hic differitur de filia, quæ invito Parente infra 25 ætatis annum viro nupserit. Nec enim tali Jur. Civ. competere dos potest, cum matrimonium invitum parentibus contractum nullum sit §. 1. I. de nupt. ubi autem matrimonium nullum, & irritum , ibi nec dos intelligitur, sunt verba l. ult. ff. de Statu Hom. Quod tamen non extendendum ad filiam 25 annos jam natam, si hæc sine parentis consensu, quem frustra expetiit, marito modo tamen familia patris digno (nam si rem habeat cum indigno aliud dicendum foret arg. Nov. ns. cap. 3. §. n. v. libero tamen) se conjungat. Huic enim pater dotem constituere tenebitur, cum nuptias hoc casu subsistere jubeat Imper. in alleg. Nov. d. c. & Spfo hac ratione permotus, quia parentibus virtus verti debet, illos, dum forsitan admodum tenaces , vel præsenio nimis morosi fuerint, filiam nubilem, & viro matutram elocare noluisse, quamvis fecirent , vel scire deberent, quæ paria sunt l. quod te ff. si certum peratur , virginis ad illam ætatem proiectæ difficile esse cupidinis æstus frænare, & compescere amoris flamas, quæ plerumque cor, pectus & medullas exurunt, nisi filia compos voti fiat, & dulce nomen matris consequatur.

§. XII.

Idem dicendum ex persona generi, si forte ipse nullam dotem desideret: nam quamvis sine matrimonio dos con-

cipi nequeat, & hinc res dotis causa data matrimonio non
subsequente repeti possit l. 6. ff. l. r. C. de condic. caus. dat.
caus. non secuta. vid. Excell. Dn. Ludovici ad ff. tit. de con-
dic. causa data causa non sec. §. 4. matrimonium tamen sine
dote consistere posse cuilibet me tacente satis innotescit,
eum matrimonia non dotibus, sed affectu & consensu con-
stare inculcat Imper. in l. fin. C. de donat. ante nupt. Si igi-
tur parentibus res angusta domi, vel gener sola puella con-
tentus non desideraverit dotem, matrimonium nihilomi-
nus subsistit, & gener à vinculo contracto ob deficiente
dotem resilire non potest: Sibi enim imputet, quod ma-
trimonii onera solus sustinere voluerit: volenti autem non
fit injuria. Ferat igitur & imposteriorum illa solus, cum, quod
primo voluntatis, postea fiat necessitatibus, nisi forte admit-
tam exceptionem, si ad inopiam citra suam culpam redi-
gatur: quo casu, si forsitan ad pinguiorem fortunam interim
redierit ficer, dotem quantum permittent ipsius facultates,
constituere tenebitur, uti existimat Glæser de eo quod ju-
stum est circa dotem th. 19. De his ergo casibus, aliisque
similibus, non quero, quippe ubi pater etiam filiam ege-
nam dotare non compellitur. Nos vero de eo tantum su-
mus solliciti, utrum facultates filiabus propriæ patrem li-
berent ab obligatione constituendi dotem, quam expedi-
tum esset deberi, si ipsæ essent pauperes.

§. XIII.

Vice versa quæstio nostra non eas tantum filias con-
cernit, quæ ipsæ bona possident pleno jure, ita ut nihil
exinde in patrem redunderet, quo pertinet peculium adven-
titium irregulare, quod & proprietate & usufructu solius fi-
liae est l. f. pr. Cod. de bonis quæ liberis, sed illas etiam tan-
git, quæ bona habent jure minus pleno, sive tantum pro-
prietas, sive solum usufructus, vel alia præstatio ad eas
pertinet.

pertineat. Posteriore casu ususfructus bonorum filiae priorum vel extranei est v. g. si consanguineus aliquis virginis proprietatem, alteri vero usumfructum legaverit, vel patris, ut in peculio adventitio l. 6. C. eod. In utraque specie usus esse poterit nostrae quæstionis. Evidem Bachovius ad Treutler. vol. 2. disp. 7. th. lit. C. & Mullerns ad Struv. exerc. 30. §. 3. n. 9. quamvis patrem ad dotandam filiam locupletem esse obstrictum cum Carpzov. aliisque negent, eum tamen, si filia bona adventitia habeat, de suo dotem dare debere affirmit. At vero quam male hæc principia cohærent, & quam imprudenter hi DDres in sua ipsorum viscera arma moveant, facile est demonstratu: nam si pater non teneretur dotare filiam locupletem, nec etiam posset esse obligatus hoc casu de suo dotem constituere, sed sufficeret de adventitiis tantum dare, quantum generi conditio exigeret, & usumfructum, qui sibi inde competit, remittere; quod in illis bonis, in quibus pater usumfructum jure patriæ potestatis habet, nequidem ejus arbitrio relinquitur, cum moribus hodiernis filiæ matrimonio contracto bona propria, quibus pater adhuc tanquam pater utebatur & sovebatur, ob emancipationem virtualem exsolvi debeant Carpzov. p. 2. c. 10. def. 6. Berlich. p. 2. Concl. II. n. 61.

§. XIV.

Priore casu, ubi filia habet nudam proprietatem bonorum, quorum ususfructus ad alium pertinet, videri quidem poterat, nostram quæstionem plane nullum locum invenire, sed filiam simpliciter pro paupere haberi debere, ubi de constitutione dotis quæritur. Dos enim datur ad sustinenda matrimonii onera, adeoque consistere debet in re fructus ferente, ex quibus pars impensarum in coniugio necessiarum erogari possit; adeoque nuda proprietas,

tas, utpote nullam præsentem utilitatem, sed tantum spem, ac jus futuri emolumenti comprehendens, frustra dotis loco marito obtruditur. Quod si tamen ponamus, patrem non nisi pro filia egena dotem dare debere, nescio, an non maritum compellere possit ad accipiendo dotem usque ad illud tantum tempus, quo ususfructus cum filiae proprietate consolidabitur, à patre constituendam. Saltet nihil obstaret, quo minus pater ipsa illa bona filiae dotis loco daret, si ususfructuarium ad remittendum in emolumenntum mariti usumfructum posset permovere. Itaque nec filiam nuda proprietate gaudentem à controversia nostra plane excludimus.

§. XV.

Multo magis hoc pertinet filia usumfructum in bonis alterius vel alias præstationes veluti annuos redditus habens. Neque enim dubium est, quin in dotem dari queat ususfructus *l. 7. §. 2. ff. de Jur. dor.* Quo factō non preventus annuus, sed fors, ex qua ille redigitur, aut quæ illi secundum usuras legitimas cuiusvis loci responderet, in computanda dote numerari deberet, ut v. g. ubi usuræ quincunces vigent, maritus, qui pro sua dignitate, & socii patrimonio mille thaleros dotis nomine petere posset, contentus esse juberetur redditu quinquaginta thalerorum. Quare hanc quoque quæstionem comprehendimus, an pater etiam ex ususfructu filiae competente dotem constitueat, illumve in eam impurans debito suo satisfaciat, nec ne-

§. XVI.

Hæ sunt controversiae arduæ, & in utramque partem acriter disputatae à magni nominis JCTis. Horum enim aliqui pro aris & focis negativæ sententiaæ patrocinantur, existimantes patrem ad dotandam filiam bonis propriis instruam non esse obligatum: Quos nominare omnes nimis

mius labor effet. Itaque aliquos allegasse sufficiat sc. Carpzov. p. 2. *Const. El.* 42. *def.* 13. Gail. *lib.* 2. *observ.* 95. n. 14. Brunnem. ad *b.* 5. *ff.* de *jure dot.* Struv. *Syntag. jur. civ.* *exerc.* 30. *th.* 3. & in *Evolut.* ibidem Muller ad *Struvium* *ibidem* *not.* 9. Huberi *pralect.* ad *ff.* *tit.* *de jure dot.* *th.* 4. Gudelinus *de jure nov.* Wissenb. ad *ff.* *ibid.* *th.* 8. Wildvogel, Arumaeus, Petr. de Greve, Berger *resol. leg. obst.* & denique Dn. Coccejus *jur. controv. tit. de jure dot.*

§. XVII.

E contrario non vilioris notæ & farinæ DDres, quos longa serie, si necessitas id postularet, recensere possem, affirmativam tuentur, & patrem ad filiam indistincte dantam, & quidem nulla habita ratione bonorum, quæ filiæ propria sunt, obstrictum esse contendunt. E quorum numero sunt Carpzov. p. 2. *decis.* 173. *num.* 13 -- 16. (qui pro more sibi contradicit) Ludov. Poslius *dec.* Bonon. 39. n. 16. Gabr. *conf.* 156. n. 20. Rennem. *Jurispr. Romano German.* *membr.* 2. *disput.* 53. *th.* 6. *litt.* C. Dn. Pagenstecher *Sicilim. ad compend.* Lauterbach. *manip.* I. *aphorismi.* 68. p. 98. Mantica *de tacitis & ambiguis convent.* *lib.* 12. *tit.* 16. *num.* 15. Dn. Bohmer *ad ff. de jure dot.* Boenigk, Schopfer *ibidem.*

§. XVIII.

Utrique non unam pro sua opinione rationem adducunt, nec carent responsionibus, quas adversariorum argumentis opponant. Posteriorum tamen sententia, uti ego existimo, firmiori stat talo, idque non modo probationibus, quas alii jam protulerunt demonstratum puto, sed novis adhuc rationibus amplius corroborari posse existimo. Idque ipsum est, quod quanta potero perspicuitate & ea, quam disputationis modus exigit, brevitatem cui libet ob oculos ponere studebo.

§. XIX.

§. XIX.

Ut illud etiam ordine fiat, & justa in hoc inaugurali themate pertractando observetur methodus, cap. sequenti argumenta consentientium genuina (spuria enim ob temporis brevitatem jam non exequar) & cap. tertio novas rationes ex Nov. 97. deponitas adferam. Quo labore absoluto non difficile quidem foret, peculiari capite dissentientium argumentationes convellere. Sed malo illas nunc silentio praeterire, & responsiones ad easdem in ipsum conflictum disputationum differre.

C A P U T II.

ARGUMENTA GENUINA, QUIBUS OBLIGATIO PATRIS DO- TANDI FILIAM BONIS PROPRIIS IN- STRUCTAM PROBATUR.

- §. I. Argumentum genuinum 1. quia dos successit in locum legitime.
- §. II. Objectio disparem esse utriusque rationem. §. III. Responso ad eandem.
- §. IV. Et utramque esse juris civ. §. V. Argumentum 2. quia omnino est paternum officium dotare filiam.
- §. VI. Objectio 1. id obiter dictum. Responso, imo pro ratione decidendi possum. §. VII. Objectio 2. aliud debitum, esse aliud officium.
- §. VIII. Id negandum de officio sensu juridico.
- §. IX. Ad quem referenda obligatio dotandi.
- §. X. Argumentum 3. ex l. fin. C. de dotis promiss.
- §. XI. Argumentum 4. ex eadem.
- §. XII. Quintum argumentum ex l. 19. ff. de rit. nupt.
- §. XIII. Transitus ad caput sequens.

§. I.

PRimum patris obligatio, de qua queritur, luculenter probatur ex paritate, quae inter dotem & legitimam inter-

intercedit. Exæquatur enim dos legitimæ, quoniam in illius locum succedit *l. quoniam* 29. *C. de inoffic. testam.* *l. quisquis* 5. *S. ad filias* 3. *C. ad L. Jul. Majest.* Etenim dotis constitutio oritur ex lege Voconia anno U. C. 684. à Q. Voconio Saxa, Cæpione & Philippo Conff. lata, quam luculentissime illustravit Jac. Perizonius *in diff. ad l. Voconiam*. Scilicet hæc inter alia capita filias ab hæreditate exclusit, dote loco legitimæ iisdem relicta. Ut ergo legitima non denegata fuit filiæ diviti, & indistincte liberis ius succedendi habentibus debetur; Sic nec dos ipsis potest denegari, cum tralatitium sit, surrogatum sapere naturam illius rei, in cuius locum surrogatum est. Interim legem Voconiam, cuius modo mentio facta est, civitatis opulenta quasi quodam exæstuanti fluetu jam priscis temporibus oblitterata, & opertam esse apparet ex eruditissimo, quod inter Sextum Cæcilium & Philosophum Favorinum de justitia legum 12. tabb. intercessit, colloquio. A. Gellius noct. Att. lib. 20. cap. 1. Eo enim tempore, vel paulo post, uti existimant nonnulli, Edictum perpetuum in lucem prodiit, legemque Voconiam enervavit. Quo jure usi sunt, donec Justinianus hoc emendans explofā simul mediæ ætatis JCtorum interpretatione jus 12. tabb. in usum revocavit, & in hæreditatibus fæminas masculis plane æquavit §. 3. *I. de leg. agnat. Success.* forsan ut Theodoræ vel sexui muliebri, cui teste Procopio impensè favebat, eo magis placeret, quamvis ipse hanc constitutionem sola æquitate niti magno verborum apparatu asserat. Qua in re autem errasse Justinianum quis non videt? Etenim quid è contrario æquius est, quam ut ad masculos potius hæreditates confluant, cum hi domi, militiaeque soli onera sustineant, bella gerant, munia Reip. obeant, solique sint generis ac nominis conservatores. Vinnius *in comm. ad d. §.*

C

Hanc

Hanc ob causam apud omnes fere morationes gentes mos olim invaluit, ut masculi prae feminis ad haereditates admitterentur vid. Celeberrimum JCTum Dn. Alex. Arn. Pagenstecher *in Sicilim. ad compend. Lauterb. manip. 1. pag. 98.* Idem etiam apud Hebraeos obtinuisse liquet *Numer. 36. v. 8.* imprimis *Num. cap. 27.* Ubi aequissimus & justissimus *voto-*
gives Deus ipse constituit, ut filia ad paternam haereditatem non vocaretur, quam si filius nullus adesset. Confer omnino cit. elegantissimam dissertationem Eruditissimi Perizoni *de lege Voconia pag. 109. seqq.* Ne autem nimis è curriculo disputationis degrediar, repetam quod dos sit surrogata in locum legitimæ, quodque ideo ejusdem debeat esse naturæ.

§. II.

Objicies forsan à paritate ita non posse firmum desumi argumentum, consequentiam meam non nisi à simili duci, adeoque admodum vacillare, cum, ut est in proverbio, omne simile claudicet. Addunt aliqui præterea etiam disparitatem reperiri inter dorem & legitimam, cum hæc pater demum mortuo, illa celebratis nuptiis à pater vivente debeat. Denique nimis temerarium esse, eandem efficaciam tribuere obligationi, qua dos debetur, quam illi, qua legitimam sibi quis vindicat, cum tamen dos ex Jure civ. originem trahat, legitima vero ex Jure civ. & naturali debeat. Ex quo hæc ab ipsis infertur conclusio, obligationem ad legitimam illa, ex qua dos debetur, firmorem esse, quoniam duo vincula fortius ligant, quam unum. Quod autem legitima jure nat. debeat probant 1. ex *l. cum ratio in pr. ff. de bon. damn. §. primum itaque. Auth. de hard. & Falcid.* nec non ex *l. scripto in fine ff. unde liberi.* 2. Exinde, quia legitima alimentorum loco succedat, quæ Jure nat. filiis debentur. *l. r. §. Ius nat. ff. de justit. & jur. §. r. l. de Jure Nat. Gentium & Civ.*

§. III.

§. III.

Ego vero primum nego, me à simili, vel metaphora quadam, de qua proverbium mihi objectum agit, argumentari. Similia non probant, sed illustrant. Alter vero se res habet in surrogatis, à quarum indole firmiter concludere licet. *vid. l. i. §. hac actio 1. ff. si quis testam. liber. esse juss. l. un. §. i. & 2. C. de rei ux. act. Nicol. Everard. à Middelburg locis argumentor. legalibus loco 122.* Sufficit ergo, idem juris esse in surrogato, quod juris est in eo, cui surrogatur, quæcunque alias inter utrumque diversitas intercedat. Itaque satis habeo demonstrasse, quod dos & legitima conveniat ratione obligationis patri incumbens, eumque æque fortiter ad illam pro filia dandam, quam ad hanc eidem relinquendam obstringentis. Cæteræ diversitates quantæcunque fuerint, me non feriunt. Nec in foro, de quo jam quærimus, minus efficax est obligatio ex sola civili ratione cum effectu exinde agendi introducta, quam alia etiam naturali jure per se valida.

§. IV.

Denique legitimam Jure nat. deberi intrepidus nego, magisque in ea sententia confirmor, dum argumenta allata admodum invalida esse animadverto. Nam quod primum attinet, frustraneum est secundum jus Justinianeum emetire velle jus naturæ, & hujus præcepta ex illo haurire. Etenim alterum alteri per omnia non servit, ut ipse profiteatur Justinianus *in l. 6. ff. de just. & jur.* Eodem modo se res habet, ac si Theologicam quæstionem non ex Pauli Apostoli doctrina, sed per Pauli JCti legem decidere quis vellet. Secundum æque invalidum est; etenim in legibus allegatis legitima sumitur in sensu proprio, nempe pro eo, quod indigenti ad necessaria alimenta relinquitur. Si legitima in hoc accipiatur significatu ad nostram quæstio-

C 2 nem

nem non pertinet controversia , utrum ea sit juris naturæ , nec ne . Igitur leges hæc mihi non obstant , cum non lis moveatur de legitima in sensu impropprio accepta , sed quatenus sumitur pro determinata quota successionis etiam diviti , aut ad alimenta laboribus suis sibi comparanda idoneo debita , quo casu legitima est meri Juris civ . , non naturalis . Quod mirifice confirmat l . 9 . & 24 . C . de inoffic . testam . ubi legislator permittit militibus , ut filiis suis nihil relinquant . Quod sane sibi licere non existimat , si legitimam jure nat . debitam putasset . Unde patet , legitimam qua talem non ex Jure nat . sed civili tantum ortum trahere , quamvis tamen juri nat . haud contrarietur . Adhuc ergo verum est dotem , & legitimam pari passu obligationis ambulare , adeoque illam non minus , quam hanc filiæ , sive egenæ , sive diviti indistincte deberi .

§. V.

Idem manifeste probatur alio argumento desumpto ex l . fin . C . de dot . promiss . ubi hic continetur casus . Pater reddit dotem pro filia , vel propter nuptias donationem filio , qui bona habet propria , quorum tamen ususfructus pertinebat ad patrem . Quaritur utrum usumfructum solummodo remisisse , an vero de suo pater dotem vel propter nuptias donationem integrum dedisse censendus sit ? Hanc questionem in utramque partem agitatam certo fini tradens (sunt verba legis) sancivit Justinianus , patrem totam dotem vel totam propter nuptias donationem ex suo solvere teneri , debito in sua natura remanente . Et quo magis legem serio , & deliberato animo condidisse videretur , hanc addidit rationem , quia juxta alias etiam leges omnino paternum esset officium , dotem dare pro sua progenie . Si enim omnino paternum officium est , dotare suam progeniem , utique etiam pater tenebitur dotem constituere filiæ licet locu-

locupleti. Nam vox *omnino* excludit omnem exceptionem, estque universalis, & comprehendit omnes casus indistincte vid. Strauch. *Lexic. particular. Jur. voc. omnino* num. 4. adeoque etiam eum, quando filius filiave bona propria habet, idque hic eo magis, quum d. l. in ea specie, quam decidit, illud ipsum supponat.

§. VI.

Dn. Huberus interim existimat de officio paterno hic obiter dictum aliunde restringi, & sufficere debere, ut paternum illud officium egenas solummodo filias dotet. Verum si obiter illud esset dictum, non posset valere pro ratione decidendi, pro qua allegatum est, & si ad liberos egenos foret restringenda lex, tunc misere cohereret, imo nulla esset sequela, quod pater dotem liberis locupletibus simpliciter promissam de suo teneretur dare, quia liberos egenos de suo dotare obstrictus est. Sane non multo melior foret sequela, quam si Cœlum minari pluviam exinde inferre vellem, quia baculus stat in angulo. Potius igitur dicendum est, patrem tam locupletem, quam pauperem filiam dotare teneri, quia *omnino* id est indistincte absque restrictione ad liberos egenos paternum est officium pro sua progenie, sive egena, sive propriis bonis instructa dotem dare.

§. VII.

Sed mihi obstrepunt nonnulli: Tu te proprio jugulas gladio, dum non retices, sed ipse tot repetitis vicibus conteris, Imperatorem agere *de officio*. Jam vero officium ad pietatem pertinet, & toto Cœlo à debito differt: latius enim patet officiorum, quam juris regula: hanc ad confirmandam thesin in auxilium adhibendam urgere debes, non illam: utpote quam merito quidem absque formidine pænae solo virtutis amore sequi debet vir honestus,

sed ad quam tamen Judex neminem invitum compellere potest l. 17. §. 13. ff. *commod.*

S. VIII.

Enimvero licet hæc non sine maxima verisimilitudine dicantur, facilis tamen est ad ea responsio, si quis rem accuratius pensitaverit. Scilicet officium sumitur vel in sensu Ethico, vel Juridico. Objectio pertinet ad priorem significatum ac de eo vera est, non de posteriori. Eo officium est debitum à legè impositum, sed neque ex contractu, neque ex delicto, vel quasi descendens, adeoque actionem non producens, sed tantum implorationem officii Judicis, vel eo superioris, coactionem nihilominus operans. Ita officium paternum liberos alendi, heredes scribendi, eosque nulla ratione in legitima lædandi sunt obligationes stricte dictæ, quodque illis contrariatur v. g. testamentum, dos, donatio immoda, dicitur inofficium, & in foro externo corrigitur, nec pudori cujusque tantum relinquitur pr. I. de inoffic. testam. l. 5. l. 7. C. de inoffic. donat. l. un. C. de inoff. dote. Imo ipsum jus dicentis officium, de quo vid. l. 1. ff. de juris d. 2. 1. de offic. jud. nemo ad meras honestatis regulas referet, quas impune possit violare, qui satis habet ab externa coercitione immunem esse.

S. IX.

Hoc vero sensu juridico scilicet, non ethico dotatio pertinet ad officium patris, quippe imperata lege Voconia, ac patris non tantum pietati congruens, sed & debito ita comprehensa, ut ad illud explendum à Magistratu cogi possit, ac debeat, ceu jam monui cap. 1. §. 3. l. 12. in fin. de ritu nupt. l. 81. ff. pro soc. Quod etiam innuit allegata lex nostra ubi ait: *non incognitas esse leges, quibus cautum sit, esse hoc paternum officium.* Jam vero de obligatione mere interna nihil cauent leges. Etenim carum virtus est, *veritate,*

zare, permettere, punire l. 7. ff. de legib. Non vero virtutum mera officia, quæ impune possunt negligi, inculcare. Quod munus Doctoris à Legislatoris officio toto Cœlo differt.

§. X.

Addi potest aliud argumentum ex ultima parte *eiusdem legis fin. C. de dot. promiss.* ubi Imperator constituit, ut, quando pater ait, se dotem ex suis debitis dare, tum eadem ex bonis filiæ propriis profecta credi debeat, quoties pater inops est. Contra, si & ipse substantiam idoneam possideat, vult ipsum de suo patrimonio dotem deditse intelligi. Quod si enim & is dotem de suo præstare teneatur, qui se illam ex bonis filiæ propriis, quæ apud ipsum instar debiti sunt, constituturum dixit, sequitur patrem, quoties ipse non egret, etiam ad filiam divitem, vel bonis quibusdam instructam de suo dotandam teneri. Qui enim alias compelli posset ad dandum de suo, quod se de filiæ patrimonio daturum dixerat?

§. XI.

Eodem denique collineat versus ultimus hujus legis *Poterat enim secundum suas vires dotem pro filia vel ante nuptias donationem pro filio dare, & consentire filii suis, quando voluerint partem vel forte totam suam substantiam quam habent paterna liberalitati aggregare.* Inde enim non obscurare mea sententia conficitur, patrem locupletem filiæ bonis instructæ non ex libero arbitrio, sed legis necessitate dotem dare. Alias frustra esset, eandem secundum vires ipsius patrimonii exigere, sed gener qualicunque liberalitate, licet infra modum facultatum saceri, contentis esse deberet: modo ex bonis uxoris congruam dotem acciperet.

§. XII.

Adjicitur plerumque & hoc argumentum: quod *Lex Julia*

Julia in l. 19. ff. de jur. dot. quæ §. 3. cap. 1. jam est allegata, non distinguat, sed generaliter parentibus injungat filias dotare, quodque lege non distinguente, nec nobis sit distinguendum Boenigk Schœpfer. Quamvis hoc argumentum non sit omni contradictione majus, nec controversia hoc brocardico possit determinari, dum lis moveatur, an filia locuples pertineat ad regulam nec ne, tamen illo prudenter uti licet exinde inferendo, filiam locupletem etiam esse dotandam, nisi probetur contrarium. Onus igitur probandi incumbit adversariis. Nihilominus placuit speciale assertione, quamvis jam sub generali lege contineretur, probare per antecedentia, imprimis per l. fin. C. de dot. promiss.

S. XIII.

Ex qua, ceterisque Codicis & Pandectarum textibus plura non addam. Sufficere enim possunt, quæ jam dixi, ad obligationem patris, de qua contenditur, probandam; res vero manifestior fieri potest ex Nov. 97. capit. 5. quod varias novas probationes suppeditat, quas sequenti capite publicæ luci exponere studebo.

C A P U T III.

NOVA ARGUMENTA EX NOVELLÆ XCVII. CAP. V. DEPROMTA EXHIBENS CONTENTA.

§. I. *Dubia circa textum à nostro themate aliena.* §. II. *Species facti, Justiniani decisio.* §. III. *Argumentum 1. quia pater tenetur ad integrum dotem, licet ad dimidiam sufficeret proprietas filiae.* §. IV. *Rationes decidendi, argumentum 2. quia alias laedere.*

læderetur filia. §. V. Argumentum 3. quia lucrum filie non deducendum in dotem. §. VI. Argumentum 4. quia maritus bona filie propria in paraphernam habere debet. §. VII. & VIII. Dos vero à bonis paraphernalibus diversa est. §. IX. Argumentum 5. quia propria bona debent conciliare dñitorem maritum. §. X. Argumentum 6. quia bona filie ei jam sunt propria. §. XI. Limitatio Novellæ; argumentum 7. inde de ductum. §. XII. Conclusio argumentationum. §. XIII. Eorum consequentia legitima. §. XIV. Ex mente legislatoris probe deducta. §. XV. Licet ejus rationes aliquando claudcent. §. XVI. Quod de hac Novella non est dicendum. §. XVII. Objetio quod possit pater totam obligationem eludere diffensu. §. XVIII. Resp. 1. Quod possit cogi à Consistorio ad consentiendum. §. XIX. Resp. 2. Quod cessat elusio in casu, ubi desponsatio facta absque mentione dotis. §. XX. Monitum de regula decori & prudentiae.

§. I.

Sunt nonnulli tam emunctæ naris, ut nec hanc nec alias minus puris forsan verbis, styloque parum Ciceroniano exaratas leges ferre possint, sed acriter perstringant, corrigant, emendent, transponantque litteras, existimantes se hoc pacto de Rep. litteraria insigniter esse meritos, sibique æternam comparasse gloriam, cum tamen aliis JCtis bene multis non modo laureolam in mustacco querere videantur, verum etiam hanc ob causam pessime audiant, & carnifices, castratores, corruptoresque potius, quam legum restauratores non prorsus sine sua culpa vocentur vid. Dn. Menke in *eleganti libello von der Märtschreyeren der Gelehrten pag. 86.* (cujus originalis textus latino sermone exaratus extat.) Mihi alia cura aurem vellicat, ut hunc fugiam scopulum. Igitur ne quidem inquiram, quomodo restituenda lectio versus primi

D

hujus

In ius Novella, de quo videri potest Joh. Frid. Hombergk zu Vach in *notis ad vers. novam Novellarum à se editam h.* t. Sed seposita falce Critica agam tantum de hoc textu, quatenus illustrationi thematis inservit. Quo fine à specie facti, seu casu legis binis verbis recensendo ordiar.

§. II.

Pater filiæ in dotem dederat 30. *libras*. Moritur gener, ex cuius donatione propter nuptias filia 15. *libras* lucrata erat. Vidua ad secunda vota pergente novus maritus ex ipsius foceri bonis dotem, quam ille interea recuperaverat, repetit. Questio exinde nata est, utrum pater huic desiderio annuere teneatur, an vero suo defungatur officio, si 15. *libras* de suo filiæ det, & reliquas 15. quas ex antipherna lucrata erat, adjungat. Subsequitur Justiniani constitutio, qua controversia deciditur, in eo consistens, quod pater teneatur integras 30. *libras* denuo de suo solvere, & ultra eas filia quindecim illas, quas lucrata erat, in paraphernis habere debeat. Adjicit rationes decidendis, quæ æque ac decisio ipsa luculenter meum confirmant thema. Utrumque à me nunc est demonstrandum.

§. III.

Itaque ex ipsa constitutione, qua patrem ad integras 30. *libras* in dotem dandas obstringit, primum pro mea sententia depromo argumentum. Nam si pater non teneretur dotare filiam locupletem, sed tantum dotem daret in subdividum deficientibus bonis filiæ propriis, in præsenti etiam specie tantum suppleret dimidiam, quoniam filia alteram dimidiam jam in proprietate habebat: neque adeo eandem gener à focero potuisset petere, si sufficeret sola quantitas dotis congruae; nec necesse esset eandem ex bonis patris ipsius integrum constitui, quum filia jam per se habeat;

quod

quod marito præter accepta à patre adferat.

§. IV.

Pergo ad rationes decidendi. Prima est, quod hoc vi-
deretur injustum, & simile intentioni lædendi filiam, si
tantum dimidium supplere vellet pater. Inde secundum
pro mea thesi profluit argumentum. Nam si injustum est,
& læsioni simile, patrem ex dote à se danda deducere par-
tem, quam habet ipsa filia, injustum etiam erit, & læsi-
oni simile, si locupletem filiam plane de suo non vellet
dotare, sed tantum dotem ex bonis filiæ constituere. Est
enim tralatitium, idem juris esse in parte, quod est in toto,
& vice versa. *l. qua rotæ pr. ff. de rei vind. l. juris gentium*
§. adeo ff. de paetis.

§. V.

Subjungit Imperator *rationem decidendi* 2. scilicet quod
pater non debeat lucrum filiæ suum facere, & in dotem de-
ducere. Ea mihi tertium suppeditat argumentum. Ete-
nim si illud patri non liceat, sequitur quod filiam bonis
propriis instructam æque dotare teneatur. Nam alias lu-
crum filiæ satis locupletis, ut ex bonis, quæ ipsa in pro-
prietate habet, integra dos constitui possit, multo magis
suum faceret, totam dotem ex illis solvendo, & de suo
prorsus nihil dando.

§. VI.

Sequitur *ratio decidendi* 3. quod filia bona propria in
paraphernam debeat habere. Inde manu ducor ad quar-
tum argumentum pro me construendum: Si enim filia bo-
na propria in paraphernam habere debet, dos ei sine du-
bio danda est à patre ex bonis paternis, non filiæ: nam
non potest ipsa in paraphernam habere bona propria, si
dos inde constitueretur, cum paraphernalia & dotalia re-
spectu dominii, aliisque modis plurimum differant.

D 2

§. VII.

§. VII.

Quo loco non allegabo differentias ancipites, de quibus adhuc sub Judice lis est. Quo pertinet jus mariti fructus ex dote, & parapherna percipiendi. Ita enim acutissimus & in omni disciplinarum genere versatissimus JCTus Dn. Bohmer existimat, quod ususfructus paraphernalium marito non competit, sed tantum administratio ipsi concedatur. Contrariam fovet opinionem egregius JCTus Dn. Ludovici, cuius judicio quoad perceptionem emolumenterum inter bona paraphernalia, & dotalia nihil omnino interest. Interim provocat uterque *ad l. 9. §. 3. ff. de jure dot.* ad quam & ego Lectorem ablego, nec litem hanc, quæ inter tantos JCTos, & studiorum meorum fundatores nunquam non colendos movetur, meam facio.

§. VIII.

Sufficit superesse alia discrimina juris manifesti, ex quibus satis habebo duo tantum allegasse. Quoties orto concursu Creditorum queritur, in qua classe cuique satisfaciendum sit, uxor pro paraphernalibus repetendis gauder jure tacitæ hypothecæ, eoque à tempore factæ illationis computando *l. fin. C. de pac. conv. junct. l. 29. C. de jure dot.* Quoad dotem vero non modo hypothecam legalem habet à tempore contracti matrimonii *l. un. §. 1. Cod. de rei uxor. act.* verum etiam jus prælationis ante hypothecarios simplices *l. 12. §. 1. C. qui potiores in pign.* Caetera non moror, cum ex his satis pateat certitudo mez illationis, quâ conclusi patrem bona filiæ propria in dotem dare non posse ob rationem; quia haec *in paraphernam* habere debet.

§. IX.

Quarta ratio impulsiva Justiniani est, ut filia paraphernalibus probe instructa propter hanc causam ditioni possit nubere viro. Ea quintum, idque satis evidens pro mea opinione

opinione involvit argumentum: nam si filia propter usum bonorum proprietum debeat esse melioris in nubendo conditionis, quam si tantum à patre dotaretur: sequitur, quod ultra dotem ab eo obtinendam sua separatim marito afferre debeat. Alias enim ipse per uxorem non conqueretur plura bona, quam filia per se pauper attulisset, etiamsi uxor liberalitate fortunæ, quæ ipsi melioris matrimonii spem facere debebat, tantundem in propriis bonis haberet, quam pater pro egena in dotem daret.

§. X.

Clandit Imperator suas argumentationes *ratione decidendi quinta*, quam inde depromit, quod nempe lucrum nuptriale filiæ proprium sit, eique post mortem patris necessario restituendum. Inde utilissimum hoc hauritur argumentum. Si in constitutione dotis pro filia à patre dandæ non debeat attendi, nec in eandem imputari, quod filiæ jam tum proprium, eique necessario post mortem patris restituendum sit, sequitur, quod bona ejus propria nec tollant, nec minuant obligationem patris in ea dorandâ, sed quod pater teneatur indistinctè ad hoc officium ex facultatibus suis explendum, quibuscunque demum diuiniis nata per se abundet.

§. XI.

Quæ ergo sacratissimus Imperator adhuc constituit adversus patrem lucro, quod filiæ ex priori matrimonio obvenerat, ad suum in dotando officium minuendum abutentem, ea omnia clarissime ostendunt, marito filiæ diuinitis non minorem dotem ex saceri deberi facultatibus, quam si egenam duxisset. Subjicit interim limitationem: *Nisi forsan fortuita quadam calamitas patris imminuerit substantiam*. Quod si probetur, tunc obstringit patrem, ut ultra donationis prioris antenuptialis lucrum de suo tan-

tam dotem solvat, quantam substantia eis vires permittunt. Unde iterum sequitur, patrem ad dotandam filiam simpliciter teneri pro ratione suarum facultatum, nec in dotem imputare posse bona filiae propria, licet insignem bonorum suorum jacturam passus fuerit.

§. XII.

Sed nolo cumulare plura argumenta, ne forte mea probatio nimis fastuose turgescere, & acumen, nervusque rationum adductarum, si majori numero adhuc recensentur, languescere videantur, quemadmodum novimus, vim, quo magis expanditur, eo solere esse remissorem, cum contra compressa plerumque sit fortior.

§. XIII.

Itaque sufficiet adhuc objectiones aliquias sub examen revocasse. Scilicet nonnullos urgebit dubium, quod minus sint firma argumenta, quae non nisi ab analogia defumuntur, & quae per solam consequentiam ex legibus elicuntur. Enimvero per se corruit illa obiectio, quoties illatio est oppido perpicua (uti hoc in casu se res habet) Nam quae in ratione legis continentur, æque certa sunt, ac si ejus verbis expressa essent, dum ratio est anima legis l. 6. §. 1. ff. de V. S. Denique cum species controversa de dotandâ filiâ locuplete in terminis terminantibus (ut loqui amant Practici) neque ex mea, neque ex adversariorum sententiâ decisa in Jure occurrat, quis mihi vitio vertet? si probatio per legitimam consequentiam, quam etiam dissentientes pro sua sententia invenire frustra tentant, à me vicissim ex ipsis legum visceribus desumatur.

§. XIV.

Verum stomachaberis forsitan, quod rationes decidendi ab Imperatore allatas potissimum in auxilium adhibuerim, cum hæc essentiam legis non ingrediantur. Fateor, illas in

in lege necessario non requiri, imo ne quidem in sententia Judicis, ut censem Robert. Maranta *spec. aur. p. 6. n.* s. Anth. Matth. Brunnemann. & alii. Sed quid inde? Si Princeps per se legibus solutus de potestate sua aliquid remittit, & ne ansam cavillandi arripere aliquis possit, utque evidentius de constitutionum suarum æquitate omnibus constet, earum rationes reddit: an his vim detrahemus? an ex illis mentem Legislatoris scrutari prohibitum censemus?

§. XV.

Sed dices, rationes decidendi, quas Justinianus profert, saepius claudicare, & ita esse comparatas, ut minus tuto fides illis haberi possit. Nec hoc negare audeo: fecerant enim dictis lucem exempla *in l. 10. de condit. insti.* ubi institutio hæc (si Cajus hæres erit Titius hæres esto, si Titius hæres erit, Cajus hæres esto) inutilis pronuntiatur ob rationem, quia *conditio existere non potest.* In *l. 5. ad L. Aquil. §. 3. & l. 13. §. 4. cod.* ubi sanctitur, quod futor pueri parum benefaciens (sunt verba legis) forma calcei cervicem percutiens actione injurie conveniri non possit, quoniam monendi vel docendi causa percutserit. In *§. 18. Inst. de inutil. stipulat.* ubi dicit Tribonianus, quod alteri nemo stipulari potest ob rationem, quia inventæ sunt ejusmodi stipulationes, *ut unusquisque acquirat sibi.* Enim vero hæc exempla demonstrant, illam rationem nimis subtilem, has vero esse nimis crassas. Imo possem plures recensere nævos & varias addere leges e. g. *l. 3. ff. si pars hereditas petatur l. 28. ff. de S. P. U. l. 10. de reb. dubiis l. 5. C. ad Sctum Orphit.* in quibus rationes decidendi, quarum inconcinnitas omnem fere fidem exsuperat, allegantur. Sic porro *in l. 29. C. ad L. Jul. de adult.* & *stupr.* quæ à Constantino lata, fæmina minus caste, dum ministerium in di-

versorio

versorio præbet , vivens , excusatur ob rationem , quia vita
 vilitas talem feminam legum observatione indignam reddidit .
 Nec JCti , quorum opera veteres Imperatores usi sunt ,
 ubique prudentiores fuerunt illis , qui post restauratum Ju-
 ris Romani studium eos exceperunt . Ex quibus sit instar
 omnium Decius (qui tamen nomen JCti vix meretur : Sed
 monstrum hominis potius vocari deber) iste etenim non
 erubuit monstrosam & pudendam illam sententiam incul-
 care , quod meretrix possit cogi , ut corporis sui copiam
 petenti concedat ob rationem , quia sit tanquam diverso-
 rum , in quo viatores etiam invito caupone hospitantur .
 Sed quid inde ?

§. XVI.

Tu Jus Justinianum omnibus partibus esse absolutum
 negas . Idem & ego nego : Hactenus ergo pares sumus .
 Sed porro concludis , ideo etiam rationes in Novella no-
 stra allatas claudicare . Ego vero contra concludo , tuum
 argumentum valde claudicare : nam ab eo , quod aliquan-
 do fit , ad reliqua nulla potest desumi sequela : imprimis
 quoties contraria veritas ex ipsis rerum argumentis eluce-
 scit , uti in casu , quem ex Novella 97. retuli , ubi ratio-
 nes decidendi nullo laborant vitio .

§. XVII.

Cum itaque hoc , & præsenti capite discussis simul
 nonnullis captionibus abunde probaverim , patrem ad do-
 tandam filiam indistincte esse obstrictum , hic pedem figere ,
 & manum de tabula movere possem , nisi objice-
 rent nonnulli , totam hanc dissertationem inutilem esse ,
 & otiose litem de dotandâ filia moveri , dum pater totam
 obligationem dotandi eludere possit , si dicat , se filiam
 non despontaturum homini avaro , sed tali , qui ipsam ,
 non dotem amet , adeoque sola puella sine dote conten-
 tus

tus sit, spe illa fretus, ut, si Cajo hæc conditio displiceat. Titius non detrectatus sit tali voto & voluntati obsequi. Forsan te victoriam reportasse tibi persuadebis, aut non erro, si te plane triumphum jam canentem audire mihi videor.

§. XVIII.

At bona verba quæso! siste quisquis eris clamorem & responsionem audi. Non permittitur patri tali modo eludere obligationem, cum hoc fieret in fraudem legis; sed potest per Consistorium, vel Magistratum cogi ad imperitiendum consensum in nuptias, ac dotem una præstandam, si aliam causam dissensus non haberet, nisi quod procul dotem debitam posceret. Sed dices hoc modo libertatem exulare à consensu, qui tamen nihil magis, quam coactionem respuit. Verum regero, quod quidem uti nemo invitum rem suam alienare obligatur, ita nec in aliquid consentire invitus cogi possit, sed remanere debeat voluntatis nostræ liber stylus. Interim si leges vel publica salus consensum alicujus requirant, dissentire non potest, imprimis si pietas verecundia &c. concurrent: nam quæ lœdunt pietatem, existimationem, verecundiam & contra bonos mores sunt, illa nec postea nos facere credendum. *is. ff. de condit. instit.* Porro forsitan instabis, quod nemo ad factum cogi possit; jam vero dotis datio in facto consistat. Respondeo autem, quod factum aut nudum est, aut qualificatum. De priori verum est, non de posteriori: ad quod tamen dotis datio, & generaliter solutio &c. refertur.

§. XIX.

Sic itaque pater non potest eludere obligationem dissensiū illico. Imo 2. cessat elusio in casu, ubi desponsatio facta absque mentione dotis, eaque nec promissa, nec

E

dene-

denegata Titius observat. Lauterb. 770.

§. XX.

Ita fese res habet jure stricto. Interim valde contra regulas decori & prudentiae peccaret, qui patrem dotem dare detrectantem ad eam promittendam per Judicem compellere vellent, antequam in ipsum matrimonium consenserit; maxime cum saceri animum hoc pacto faciliter negotio à se alienare, & ad gravius damnum in futurâ hæreditate lege permittente inferendum irritare posset. Melius autem est, ut, si gener ferendis matrimonii oneribus impar sit, à conjugio liquida dote destituto abstineat; sin sufficiat, ferat injuriam, monstretque reapse se uxorem amare, non dotem.

A N N E X A.

I.

NULLUS ludus Jure Nat. est illicitus.

II.

Minus recte principium Juris Nat. in socialitate collocatur.

III.

Polygania non videtur Juri Nat. contraria.

IV.

Usuræ Jure Nat. sunt permisæ.

V.

Principi Evangelico, ut Principi, non ut Episcopo jurisdictione Ecclesiastica competit.

VI.

VII.

*Contra Principem proprie non potest à subdito
exceptio præscriptionis moveri.*

VIII.

*Princeps præter adulterium, & malitiosam de-
sertionem alias statuere divorcii causas non
prohibetur.*

VIII.

*Pœna laquei juxta Nemesin Carolinam in fures
sancta nullo modo injusta, nec dura est.*

IX.

*Matrimonium ad morganaticam contractum non
repugnat justitiæ morali.*

X.

*Pactum de quota litis hodie non videtur esse illi-
citum.*

XI.

*Fundamento haud firmo nititur, quod viduæ intra
annum luctus nubenti, quodque in scenam
lucri causa prodeuntibus infamia Juris infli-
gatur.*

XII.

*In juramento vi metuque extorto nulla relaxa-
tione quis indiget.*

E 2

XIII.

X III.

*Emtor non tenetur stare locationi, seu ut apud
Germanos in proverbium abiit Kauf geht vor
Miethe.*

X IV.

Mandatarius non tenetur ad culpam levissimam.

X V.

Fœmina potest esse testis in Codicillis.

X VI.

*Biennio elapsò debitor Creditori non potest jusju-
randum deferre super exceptione non nume-
ratæ pecuniae.*

X VII.

*Imo ne quidem post biennium in foro audiendus
est, quamvis pecuniam non esse numeratam
probare velit.*

X VIII.

*In emphyteusi scriptura de necessitate non requi-
ritur.*

X IX.

*Perfecta emtione venditione rei venditæ pericu-
lum pertinet ad emtorem.*

X X.

*Non licet matrimonium cum Patruo vel Avun-
culo contrahere.*

F I N I S.


ULB Halle
001 596 608

3



V017





DISSE^TRAT^O JURIDICA
INAUGURALIS
Qua 1721
13/319.
15

OBLIGATIONEM PA-
TRIS DOTANDI FILIAM
BONIS PROPRIIS IN-
STRUCTAM ASSESTIT,
AC NOVIS ARGUMENTIS
EX NOVELLÆ XCVII. CAPITE V.
DEPROMTIS CONFIRMAT,

Quamque
FAVENTE SUPREMO NUMINE
Ex
AUCTORITATE ET DECRETO
ILLUSTRIS ET AMPLISSIMÆ
FACULTATIS JURIDICÆ
in florentissima Academia Duisburgensi
Pro
Summis in Utroque Jure Honoribus, ac Privilegiis
Doctoralibus more majorum rite capeſſendis
Publico ac ſolemni examini ſubmittit
CAROLUS PONTANUS
LINGA - WESTPHALUS.
In Auditorio majore horis ſolitis ad diem 20 Junii 1721.

DUISBURGI AD RHENUM,
Typis JOHANNIS SAS, Academiæ Typographi,
Anno MDCCXXI.